TENTAMEN MEDICUM DE VARIOLIS,

AUCTORE

JOANNE-BAPTISTA BO, Muribarensi, Diœcesis Ruthenensis, Liberalium Artium Magistro.

Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ, in Augustissimo Ludoviceo Medico Monspeliensi, mense Decembri, anni 1769, propugnatum.


Natura nos decimabat, dum nos millesimat ars. *M. de la Condamine, Mém. sur l'Inoc.*



MONSPELII;

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Typographum unicum.

M. DCC. LXX.



DE VARIOLIS
TENTAMEN MEDICUM.

QUædam de Variolis naturâ & arte productis verba facere in animum induximus; at verò ut excerptiones nostras variis in locis factas digeremus (inventa enìm disponere tyronis non est), agemus 1°. de Variolis naturalibus. 2°. De Variolis insitis.

CAPUT PRIMUM.

De Variolis naturalibus.

Tòt intèr & tantos morbos quibus miserè torquetur humana gens, utì dirissimos præstantes effectus non immeritò recensentur Variolæ. *Hippocrati*, *Galeno*, *Celso* aliisque Medicis antiquis tùm græcis tùm latinis Variolas fuisse ignotas haud dubium esse videtur; de illis enim nullus apud eos fit sermo, nec apud historicos græcos aut latinos facies cujusdam hominis subcavis quibusdam cicatricibus sparsìm fædèque in culpata refertur. *Plinius* qui novos plures morbos enumerat Variolas omisit : quod etiam ulteriùs confirmat *Lister*, *novum enim*, inquit *morbi genus est*, *& licet antiqui aliquam de his pustulis mentionem fecerint*, *ea certè admodùm exigua & dubia*, *ipsum verò morbum utì nunc est delineatum non exhibuere.*

Arabes inter quos *Rhases*, *Avicenna* & *Alsaharavius* primam hujusce morbi notitiam tradidere nobis. Nihil tamen certi de ipsius origine constat. Saracenos *Freindius* Variolarum esse propagatores, sed

primitùs eas passos remotæ Asiæ habitatores alios, contendit. Interioris Affricæ incolas incusat ill. *Stahlius.* In Europam advectum fuisse Variolosum contagium, tempore quo bella dicta *Croisades* vigebant, refert *celeberrimus Sauvagesius.*

Hominem omnem semèl Variolis affici asserit *Willisius*; rarum & inusitatum naturæ prædicans eventum, si vel nunquàm, vel sæpiùs in easdem quispiam inciderit. Non modò quibusdam hominibus, sed ferè omnibus adeò communes voluit Variolas *Clar. Diemerbroek*, ut paucos mori dicat, qui vivi ab iis aliquandò non tentati fuerint. Princeps sanè practicorum & observatorum, *Fidissimus Sydenhamus* hoc ipsum testatur, cùm Variolas nemini parcere affirmet, cujuscumque demum ætatis is fuerit, nisi priùs hoc morbo laboraverit. Frequentiùs infantes, rariùs adultos, rarissimè senes, Variolæ corripiunt. Quod veræ Variolæ bis hominem in suâ vitâ impetant, res videtur, ex observatis *ill. de Haen*, demonstratæ veritatis, sed equidèm raræ, nisi eò referre velis vel retrogressas & repullulantes, vel eas quæ nutricibus aliisque à frequenti corporum Variolosorum attactu subnasci solent. Juvenem unà cùm semi-tertianâ in Variolis illapsum, in tribus recidivis febris tres Variolarum recidivas passum posteàque parotides, refert *Spigelius.*

Circà Variolarum causas quàm vanæ, & futiles excogitatæ fuerint hypotheses, nemo est qui ignoret. Alii sanguinem menstruum tempore gravidationis intentum; alii lac maternum ab infantibus haustum; alii sanguinem, resecto umbilico, in vasis umbilicalibus stagnantem & putrescentem; alii mæconium; alii ipsam sanguinis in fœtu constitutionem, quâ ille post partum cum aëre liberiori permistus, musti instàr, ebullitione & despumatione tali indigeat; alii quidpiam aliud in culpa esse pronuntiant. Veram autem hanc causam cum peritissimis artis magistris ignotam libenter pronunciabimus.

Multa tegit sacro involucro natura, nequè ullis
Fas est scire quidèm mortalibus omnia.

In his enìm naturæ arcanis, quæ de facto sunt exponere sufficiat, necnon Variolas per effectus dignoscere: sciamus tantúm eas omnes ferè mortales invadere, neminemque ab his ad extremam usquè senectam tutum esse constare.

Quoàd Variolarum naturam, experientiâ constat, dari eas à stimulo quodam epidemico aut venenato, cujus indoles, vis, agendi modus, nos latent: circà hæc igitur spectatorem agat medicus, theoriam solâ observatione firmatam sibi permittat, quâ & decursus,

& varium morbi genium probetur; probenturque naturæ, tùm ſalutaria, tùm nociva molimina.

Non negligenda tamen quæ de uſu vel abuſu ſex rerum non naturalium haberi poſſunt, & quæ ad cauſas procatharticas referri debent. His enìm obtunditur vel amittitur ſtimuli varioloſi energia, vel etiàm varia dantur phænomena, quæ licèt morbo non eſſentialia, adæquatam tamen circà illum therapeiam indicant. Hæc obſervatis comprobare dificille non eſſet, & in diſſertationis noſtræ decurſu minimè attendenti apparebunt.

Quàm contagioſa ſit hujus morbi indoles quotidiana docet experientia, adeò ut vel unus puerulus Variolis correptus, lòngè latèque ſæpiſſimè luem diſpergat. Sæpè tamen vel intrà unum alterumve domicilium, in ipſis quàſi incunabulis extinguitur morbus, ſi unà non conſpirent contagium fovens & aëris occulta conſtitutio. Contagii hujus commune vehiculum aër videtur eſſe, Varioloſum miaſma per reſpirationem cruori admiſcens, quamvis per tactum, lintea, & veſtimenta quoquè Varioloſum pus ſæpius communicetur. Hoc autem obſervandum, quod una eademque Varioloſi contagii materies, in eodem loco & in iiſdem ædibus homines omnes quos ſimùl vel ſucceſſivè infeſtat, in illis diverſas ſatìs Variolarum ſpecies, quoàd formam externam, vel reſpectu ſymptomatum, producat. Effectus hi unius ejuſdemque Varioloſi contagii abundè ſatìs declarant phænomenorum diverſitatem quærendam eſſe, partìm in corporum ægrotantium, quoàd ſolidas fluidaſque partes, conſtitutione, partìm in ætate vitæ conſuetæ regimine, aëriſque temperaturâ. Multum facit inſtans ſanguinis ſtatus ad promovendum aut arcendum veneni effectum. Hunc vipera mordet aut rabidus canis, illumque itidèm: alterum cita mors abripit, alter vix quidem ægroteſcit. Idem obſervatur in Variolis qui ſæpè cutim illorum inficiunt, qui iſtis jàm laborarunt: quod illis contingit, quibus res eſt cum hominibus hoc morbo affectis; cùm alio tempore quidam, ut earum contagio afficerentur, ægrotantium hypocauſta ſédulò, ſed fruſtrà viſitant. Quod etiàm ex inoculatione meliùs compertum eſt, cùm pus ex uno eodemque ſubjecto deſumptum, varias in diverſis hominibus Variolas, varioſque febris gradus excitet.

Varioloſa lues ſævitiem ſuam omni anni tempeſtate exercet. Frequentiùs incipit versùs æquinoctium vernale; quibus verò annis non tantùm epidemicè graſſantur, ſed & irregularis perculoſiorìſque ſunt generis maturiùs non nunquam invadunt. Aliàs ſe produnt æſtivo tempore, autumno, rariùs brumali. Modò epidemicè, modò ſporadicè graſſantur, ubì notandum epidemias Varioloſas raró attingere loca à magnis frequentiæ hominum centris longè remota, raró

adhuc, sed frequentiùs pagos oppidulis viciniores, rursùm frequentiùs sed raro adhuc ipsamet oppidula: uno verbò ex observatis *Celleb. Rosen*, quò minùs numerosæ sunt hominum societates & commercio alieno implicitæ, eò rariùs in illas grassantur Variolosæ epidemiæ.

Cùm maximè affines sint morbilli & Variolæ; in quo hæ ab illis differant notatu dignum est. Ratione præludii differunt Variolæ à rubeola, 1°. in hâc enìm nequè lumbago, nequè convulsiones vulgò observantur. Præcedunt vero symptomata catharralia. 2°. Papulæ rubeolosæ intrà paucos dies in cuticulæ furfuraceam desquamationem vergunt. Hoc etiàm peculiare habent morbili, quod illis evanescentibus, debito quamvìs morbi tempore, febris increscat, tussis, & respirandi difficultas augeatur, imò & sæpè peripneumonia sequatur. Observandum tamen circà hasce differentias, quod aliquandò hìc falli detur. Quo enim tempore Variolæ & morbilli grassantur, non raro perambiguum fit, utra harum futura sit (febre jam obortâ) eruptio: ità quidèm, ut si ex febris natura morbillos expectaveris, Variolas quandòque prodire cernas, & vicè versà. Imò etiàm ambo in eodem subjecto efflorescere observavit *Etmuller*, & post illum D. Clar. *Brieudès* Aurilacensis Medicus. Ex eo quod eodem aut succedente mox tempore varii hi morbi simùl grassentur, in eadem familiâ homines promiscuè afficiant, eademque corpora simùl infestent, similitudinem gerant symptomatum; nonnè hìnc credibile, quod origine naturâque vix multùm differant; sed vario potius modo quo cutim afficiunt, variâ quâ sanguinem mutant ratione?

Quamplurimæ sese offerunt in Variolis varietates, quibus inter se toto cælo differre notum est. Pustularum præprimìs numerum, amplitudinem, copulationem spectantes, auctores, alias dixere discretas, alias confluentes; has malignas, benignas alias. Huic divisioni non assentimur, cùm experientiâ & observatione compertum sit malignas dari Variolas, licèt discretas, benignasque, licèt confluentes. Meliùs ideò generalis statuitur Variolarum divisio, in benignas & malignas. In utrâque specie aliæ discretæ, aliæ confluentes: & benignæ habendæ, quæ absquè ullo vel minori periculo quandòque sine incommodo sua decurrunt stadia; malignæ verò quæ sua absolvendo tempora, ægrotum in summum vitæ periculum adducunt. Quoad diversas Variolarum tùm benignarum quàm malignarum species, cùm ex symptomatum varietate pendeant, ex illorum enumeratione mox tradendâ petantur.

Multa nec-non gravia consideranti sese offerunt in Variolis symptomata, quæ quidèm omnia, ad quatuor hujusce morbi terminos, quàsi epochas, referenda sunt. Hi autèm termini invasionem, eruptionem,

tionem, ſuppurationem, & exſiccationem complectuntur. Variolarum benignarum diſcretarum invaſionis ſeu præludi phænomena ſunt, vagus horror, rigor, quos mòx excipiunt frequentia pulsûs, calor, laſſitudo ſpontanea, cephalalgia, nauſea, vomitus, dolor in ſcrobiculo cordis, lumbago, ingens in ſudores propenſio in adultis, quæ ut plurimùm prænuntiat Variolas minimè confluxuras. Dyarrhæa in infantibus, & non nunquam paroxiſmi epileptici, boni ominis, (etſi ſint epidemiæ in quibus planè fallax ſit hoc augurium.) Non nunquàm tamen accidit, quod hæc periodus ſensìm atque gradatìm ſine inſigni aliquâ ægritudine tranſigatur, priuſquam materiæ expulſio puſtularum eruptione ſe prodat: quæ eruptio, ſub finem tertii diei quartive ab invaſione initio apparet, niſi inſuperabile detur repagulum, ſive ratione fibrarum conſtrictionis, ſive ratione oppreſſionis aut virium cordis penuriæ, ſive vitii humorum ratione: in illis enim caſibus, ad duodecimum uſquè diem protrahitur eruptio.

Erumpunt 1°. Variolæ in facie; quædam circa labia ope luminis puncticula percipiuntur; rapido deìn progreſſu mentum, faciem, brachia, totumque corpus ſensìm occupant. Puſtulæ creſcunt raræ, plenæ coloris, dilutè roſei phlegmonis æmulæ, in dies grandeſcunt, & in majus faſtigium elevatæ, cutem carneſque vicinas rubore atque inflammatione afficiunt. Eruptione factâ miteſcere aut penitùs evaneſcere ſolent ſymptomata, quæ niſi circà ſuppurationis tempora non recrudeſcunt. Adulti tamèn in ſudores propenſi, vix ab illis cohiberi poſſunt; ut ùt leviter tangantur, quæ quidèm diathæſis, niſi puſtulis jam matureſcentibus, ægrum & ferè ſemper ſua ſponte deſerit.

Septimo circiter die incipit ſuppuratio ubi primùm eruperant puſtulæ, ſensìm deìn in reliquis corporis partibus. Intervalla priùs ſubalbida rubere jam incipiunt, & in molem attolli, cum dolore acuto: faciei puſtulæ hactenùs leves & rubræ, jam exaſperantur & albicant, baſim earum cingit circulus roſeus, ſerum in illis contentum ſpiſſatur, flaveſcit, in pus convertitur; febris tunc apparet ſi jàm ab eruptione evaneſcit, utì in diſcretis benignis, vel recrudeſcit in confluentibus. Paulatìm inſupèr, ſuccum quemdam luteum à flavo non abludentem tranſudant. Generalis tumor cutis apparet, in facie imprimìs nec-non in artubus ſenſibilis: faciei interìm & manuum inflammatio ad ſummum evecta; apicem colorem exhibet in puſtularum interſtitiis ſatìs floridum, plùs minùs-ve, quò mitiores ſunt Variolæ & geminæ magìs. Non raró accidit, ut palpebræ uſque adeò impleantur ac extendantur, ut æger luce quandoque privetur. Quod quidèm ſymptoma omni periculo vacat, ſaltèm in hâc ſpecie. Intrà três dies terminatur ſuppuratio, & incipit exſiccatio. De hâc-ce verò priuſquàm agamus, obſervandum, quod ſi pure confecto via ſibi

extus non paretur & excludatur, e contrà verò coërceatur; in sanguinis oceanum remeat, febri secundariæ Variolis confluentibus imprimìs familiari, locum dat. Conferunt etiam ad formationem ejus, cutis tensio & dolor, serositatis aëris pustularum basi collectæ resorptio, suppressa transpiratio.

Exsiccationis tempore, ut plurimùm præterlapsum est omne periculum, æger *Apyretos* redit, faciei tumor atque inflammatio recedunt: pustulæ-quæ primæ erupere, maturitatem jàm adeptæ, evanescunt ac decidunt, atque decimo quarto circiter die, funditùs pereunt. Pustulis faciei succedunt squamulæ furfuraceæ, quas aliquandò excipiunt foveæ cutis. Observavit tamen Ill. *Sydenhamus* in constitutionibus quibusdam epidemicis, exsiccationis tempore febrem putridam oriri secundariam, omnes fermè ægrotantes vario modo ad orcum ducentem.

Observatur apud *Helvetium* varietas, in quâ septimâ die, nulla fit suppuratio; sed pustulæ sensìm terminantur absquè ullo vitæ discrimine, & quandòque sine *Pyrexia* sensibili, hæc varietas resoluta vocatur: quod sedulò distinguendum à pustularum recessu in aliis speciebus aliisque stadiis funestissimo.

Symptomata cum Variolis supra descriptis communia, habent benignæ confluentes. Ast hìc interiora imò verò non nunquam eruptionem præcedit dyarrhæa, & ad diem unum alterum-ve post illam protrahitur. Minor est in sudores propensio. Citiùs erumpunt pustulæ, numerosiores, invicem cohærentes: si quandòque tardiùs, atrocibus quibusdam symptomatibus, uti accutissimo dolori in lumbis, nephritici æmulo, in latere pleuritici, debetur. In eruptione nequaquàm, ut in benignis discretis remittunt symptomata, sed cum febre toto in morbi decursu ægrum discruciant. Erumpentibus pustulis, non in molem aliquam attolluntur; at minus fastigiatæ & magnitudinis ratione paucò exiguiores apparent. Confunduntur in vesiculam rubram, quæ totum contegit vultum, postmodùm ad instar pelliculæ vultui agglutinatæ, cutis superficiem non admodùm superant.

Die circiter octavo aggeries pustularum quæ pelliculam albam constituit, quotidiè magis exasperatur, fusca evadit, & dolet. Intenduntur in dies, tùm asperitas, tùm cutis color, donec tandem pellicula latioribus laminis desquamatur; quod aliquandò, si morbus truculenticr fuerit ad decimum quintum, vigesimum & seriorem diem protenditur, pustulis usque ad id tempus ita incrustatis exsiccatisque, & in carnes quasi impactis, maximè in ipsâ facie, ut ad suppurationem nullâ arte adduci queant. Ubì primùm pellicula hæc deciderit, nullâ quidèm scabritie vultum afficit: at verò mox illam excipiunt squamulæ furfuraceæ indolis, perquàm corrosivæ, quæ po-

tentiores excavant foveolas, etsi admodùm sæviat morbus, faciem cicatricibus fædè deturpant, ditioraque alia phænomena procreant. Hæc sunt symptomata, quibus se produnt Variolæ benignæ confluentes. Aliquandò tamen nunc eresypelatis, nunc morbillorum ritu erumpunt; à quibus difficilè distinguuntur quoàd faciem externam. Qui enim ad stadia morbi, aliasquè circumstantias sedulò animadverterit, non difficilè hunc ab illo discriminaverit.

Variolis confluentibus addi debent symptomata duo: salivatio in adultis, dyarrhæa in infantibus. Monspelii tamen rarissimè observantur, sed apùd septentrionales frequentissima & salubria sunt. Nec perpetuò solis adultis adest ptyalismus. Vidit. Ill. *de Haën* puellam triennem, tertio die post validæ scarlatinæ eruptionem elapso, Variolis confluentibus occupari, quæ sine diarrhæa, sed cùm leviori salivatione, integrè convaluit. Eodem tempore valido diuturnoque ptyalismo correptam novellem puellam vidit, & curavit in confluentibus. Graves etiàm discretas salivatio hæc comitatur: non nunquam etiàm ipsam febrim Variolosam, sine Variolis.

Salivationis aditus regularis non est, non nunquàm sub primum eruptionis tempus se prodit, non numquàm nisi postridiè biduò-ve præterlapso. Die autem circiter undecimo cessat salivatio, aut saliva viscidior jàm facta, ægerrimè excreatur, ægro suffocationem intentat. Si spontè suâ penitùs cesset, nisi tunc crescat faciei manuumque intumescentia, vel si dejectiones, sudores, urinæ-ve copiosæ vicem ejus non subeant, de ægro conclamatum est. Observantur etiam quædam Variolarum species, ubi pustulæ adeò exiguæ sunt, ut non salivatio tantùm, sed faciei insupèr & manuum intumescentia, ad materiam morbificam eliminandam omninò requirantur.

Non minoris momenti est dyarrhæa in infantibus, ac in adultis ptyalismus. Per illam enim expurgatur primarum viarum fomes pueris familiaris, qui causam Variolis præbere potest, ut violentiùs erumpant, nisi dyarrhæâ tollatur. Illud observavit *Baglivi* in epidemiâ Variolosâ, in quâ innumeri periere in urbe, & qui cum Variolis confluentibus dyarrhæam non habebant, morbo extinguebantur. Non ità tamen accuratè, nec tam maturè infantes, ac adultos ptyalismus, invadere solet dyarrhæa: quocumque autem tempore ingruerit, nisi antè sistatur per artem, ea solet singula morbi stadia decurrere. Hæc sunt phænomena quæ Variolarum stadiis propria observantur. Omnes tamen simùl non afficiunt. Apparent quidèm in his plura, in illis pauciora, nunc graviora, nunc leviora, prò majori minori-ve humorum corruptelâ, aëris indole &c.

Diversa odeò, multipliciaque phænomena exhibent Variolæ malignæ, ut hæc omnia comprehendere in immensum esset. Facilè

tamen noſcuntur anomalis ſymptomatibus, quæ eas concomitari ſolent. Ex his præcipua ſunt, affectus convulſivi, ſoporoſi, virium praſtratio, deliria, hæmorragiæ, putridæ diſſolutionis ſigna, omnia denique horrenda, quæ in morbis malignis obſervantur. Pro diversâ autem puſtularum naturâ formis tàm variis ſe produnt, ut alias atque alias appellationes illis dederint auctores. Quarum præcipuæ differentiæ ſunt Variolæ cryſtallinæ, verrucoſæ, ſilignoſæ, veſiculares, miliares, &c. De quibus vide *Helvetium*, *Mead*, *Sydenhamum*, *Sauvageſium*.

Variolas certis criteriis dignoſcere in Medicinâ exercendâ multùm momenti eſt; ut eventum prædicat Medicus, indicationes curativas eliciat, atque medendi methodum inſtituat. At verò certis vix dignoſcuntur ſignis Variolæ, antequam phymata Varioloſa in conſpectum ſe dederint. Multùm tamen ſuſpicari merentur, ſi datis ſymptomatibus ſuprà relatis, vigeat conſtitutio epidemica Varioloſa. Motus convulſivi, apparentes in puerorum febribus, ſequenti die Variolarum eruptionem denotant, niſi, notante Ill. *Sydenhamo*, dentitionis fuit effectus. Confluentes diſcretas-ve Variolas prænuntiare poſſunt conſtitutio epidemica, quæ alterutri generi favere magìs videtur; ægri ætas, nec-non temperamentum; ſymptomatum intenſitas, puſtularum eruptio, quæ ſi tertiùm antè diem ab invaſione febris ſe prodierint; has è confluentium genere cenſendas, ſi circà quartum verò appareant, inter diſcretas annumerandas eſſe, multiplex docuit obſervatio. Certior erit diagnoſis, ſi jàm faciem obſideant puſtulæ; ſi enim à ſe invicèm remotæ, probè elatæ, circumſcriptæ; diſcretæ ſunt: ſi ereſypelatis ritu non multùm promineant, aliæ in aliis confluentes, ità ut tumorem ereſypelatodeum vultus referat, facilè tunc judicantur.

Quàm dubia Variolarum prognoſis eſſe debeat, & obſervata & praxis diuturna ſuadent. In nullâ febre incertiora eſſe de vitâ aut morte judicia, quàm in eâ de quâ hìc agimus, affirmat Celleb. *Mead.* modò fauſtum, modò funeſtum, modò dubium eventum nuntiaturus eſt Medicus prudens. Variat enìm prognoſis pro variâ conſtitutione epidemicâ, ſymptomatum intenſitate, & aëris indole. PericuIoſiores eſſe Variolas in humidâ calidâque aëris temperie, quàm in frigidâ tenui, nec-non ſiccâ, contendit Celleb. *Huxhamus*, at verò in quâcumque immoderatâ aëris conſtitutione, æquè epidemicas & confluentes eſſe Variolas, obſervatum eſt; dum econtrà in moderatâ cæli temperie, benignæ vulgò obſervantur. Peſtiferas magìs eſſe inter nautas, quàm vel oppidanos, inter aut ruricolas, obſervavit auctor prælaudatus. An à pravo victu proveniat, àn quod ſæpius eorum à ſcorbuticâ lue ſanguis polluatur? Morbillos & Variolas in

insulis orientalibus & occidentalibus, semper esse malignas refert *Bonetus* in medicinâ suâ septentrionali. Variolosis epidemiis maximè sublatos esse, qui ædes incolebant lanienis vicinas, observavit D. *Rogers*.

Variat etiàm prognosis, prò variâ solidorum & fluidorum constitutione. Qui textum cutis laxum habent sæpiùs, notante D. *Rosen*, Variolis benignis laborant, quàm qui firmo donantur. Ideò in Angliâ periculosiores sunt Variolæ, òb frequentem frigidi balnei usum. Sub ætate provectâ, quàm in infantili vel juvenili; in viris, quàm in mulieribus, ominosiores esse Variolas, neminem fugit. Notandum tamèn, quod prægnantes Variolis correptæ, dirè ut plurimùm vexantur, ut abortu periclitentur, & hemorragiâ uterinâ plerùmque abripiantur. In genere & constantiori lege, discretum genus, secum periculi parùm importat, dum periculo non destituuntur confluentes: nisi fortè constitutiones quasdam epidemicas excipias, in quibus constans lex invertitur.

Symptomata bona judicantur ex eruptione, quæ circà tertium aut quartum diem fit; ex qualitate pustularum satìs superiùs expositâ, ex situ: gravis enìm est in facie pustularum numerus, nec-non circà pectus & abdomen. Ex numero; quò pauciores, eò meliùs modò ad interiora non confluant, uti secto cadavere fuit observatum. Optimi ominis est, si post eruptionem æger symptomatibus liberetur, vel si saltèm mitia sint. Si externa cutis superficies solummodò laboret, minoris est discriminis; ex adverso si, fames, gula, ventriculus, intestina, cæteraque viscera occupentur. Si in invasione violenta sint symptomata, alias morbi periodos violentas fore, timeamus. Si primo altero-ve morbi die pustulæ erumpant, res est ancipitis aleæ: quò citiùs enìm erumpunt, eò magìs confluunt; ut diximus. Quò major autèm est pustularum numerus, eò magìs æger in periculo versatur: cum enìm quælibet pustula in apostema evadat, fieri, debet quod febris jamjàm in fieri pendens, plùs minùs-ve exacerbetur, prò puris excoquendi quantitate. Multùm terroris incutiunt Variolæ, si retrocedant pustulæ nullâ remanente cutis intumescentiâ.

Nec vano metu terrent exanthemata atro-livida, vel gangrænodea, linguæ labiorumque nigredo. Prò exitiali ferè sempèr habentur sputum cruentum, mictusque sanguineus ritè distinguendus ab urinis rubris, quæ sanguinis globos non deponunt. Pravæ indolis sunt pustulæ pallidæ, depressæ, ad colorem subfuscum vergentes. Multùm timeas, si facies primùm intumescens fiat collapsa, & manus & pedes subitò non intumescant. Materia enìm in sanguinis oceanum resorpta, viscus quoddam nobile afficit, & ægrum derepentè jugulat. Pulsus debilis, inæqualis, vox canglosa, respira-

tio difficilis, inter pessima symptomata recensentur : cum bonâ econtrà respiratione, notante *Baglivi*, semper benè sperandum. Ischuria, disuria (nisi vesicantibus ortum debeant) alvi fluxus nimius, imprimìs dissentericus, fæces albæ ex observatis D. *Rosen*, abdominis tumefactio, dolor in pressione acutus, delirium, angustiæ in faucibus præcipuè, tristem secum prognosim important. Si subitò antè perfectam maturationem priusquàm totum virus Variolosum protrusum fuerit, salivatio sistatur; permulta & funesta symptomata indè nasci videntur : nisi utì jàmjam fuit observatum salivationi nimìs properè declinanti, succedaneum superveniat copiosum urinæ limpidæ profluvium, & ferè diabeticum, cujus eventus secundissimus est. Ab ipso ptyalismo æger aliquandò jugulatur. Materies enìm quæ ad undecimum usque diem cruda fuit, tenuis, & facilè excreabilis, viscidior jàm facta & tenax, ægro suffocationem intentat. Dum verò in Variolis maximè sputant ægri, raro moriuntur ex observatis *Walschmidii.*

Si Variolis comites sese adjungant morbilli, funesta prognosi ansam præbent. Ominosiores enim censentur hujusmodi Variolæ complicatæ, uti videtur observatione Ill. *de Haën* puellæ Variolis confluentibus affectæ : hæc ubì febris post suppuratoria deferbuerat, illicò morbillis corripiebatur, & moriebatur. Periculosæ sunt etiàm Variolæ, si cum illis febres epidemicæ se complicent. Inter periculosiores annumerantur Variolæ verrucosæ, crystallinæ &c, quæcumque demùm malignarum nomine insignitæ.

In statu & Variolarum mutatione, periculum imprimìs imminet. Licèt enìm omnia, ad hoc usque tempus ritè processerint, mutatione mirandâ terribilia apparent symptomata, quæ præcipuè expectanda in confluentibus, si qualitate, vel quantitate nimiâ peccent. In maturatione etiàm longè longèque magìs contagiosæ sunt Variolæ : noxia tunc spargunt miasmata & febris secundaria, de quâ silent antiqui Medici, periculum in iis circumstantiis importat.

Falsò tamèn crederes, quod in primis morbi diebus, vel prægressis his-ce supra relatis, invado pronuntiandus sit æger. Haud raro fermentum Variolosum immodicè exaltatum, tantam colluviei Variolosæ vim conficit, ut æger incipiente adhùc morbo, è medio tollatur; cum scilicèt materia morbum commitens, tùm præ nimiâ copiâ, tùm præ motu inordinato ac confuso in sanguinis oceano excitato, ad corporis peripheriam propelli nequit; eruptionisque loco mictus sanguineus, maculæ purpureæ, hemorragiæ universales, ex relatis Ill. *Tissot* tragediæ catastrophe fiunt. Alia non minoris momenti infortunia in morbi recessu sunt pertimescenda. Non timendum minùs de Variolarum malignarum sequelis. In morbos

chronicos non nunquàm degenerare probat triſtis heu ! experientia. Clauditates ex malignis reliquiis ortas videmus. Nota ſunt ſurditatis nec-non cæcitatis exempla. Hi ophtalmiâ contumaci afficiuntur. Illi olfactum deperdunt. Abceſſus partes externas invadentes, & intra viſcera deliteſcentes, aliique pravi affectus utì gangræna, caries, percipiuntur. Oſſa ſterni eroſa & à ſe invicèm direpta, ſimùlque epiphiſes oſſium brachii, & maximam partem capitis, omoplatæ corruptam obſervavit *Pareus*. Tanta in cute viſa fuit putrefactio, ut detractis puſtulis, in ulcere cutaneo vermiculi reperti fuere, ut aſſerunt *Formeus*, *Borellus*, *Rhodius*, *Zacutus*. Hanc humorum corruptelam videſis, in Variolis anomalis nigris *Sydenhami*, quæ ubi maturæ, tàm fœtidæ erant, ut adſtantes omnes fugabant. Permulta alia funeſta ejuſmodi exempla in quamplurimis auctoribus leges.

De Variolarum curatione priuſquàm agamus, qædam de variis methodis ab auctoribus in uſum vocatis dicere eſt. Duæ potiſſimùm noſcuntur, sùb frigidi, & calidi regiminis nomine. Prior ex antiquis renovata, laudatur à Clar. *Sydenhamo*, ſæpè probatur eventus, & quam plurimis ſtabilitur rationibus. Altera verò à nutricibus, & vetulis amplectitur, celebratur quoquè ab Ill. *Mortono*, & *Liſtero*. Etſi regimina hæc diverſa ſibi invicèm contraria videantur, felix tamen eventus ab utriſque exoritur, quò primùm ab imperito non adhibentur. Quilibet enìm caſus, ſingularem requirit methodum. Merito igitur, cum *Huxhamo* cenſemus, nihil abſurdum magìs eſſe, quàm in diverſis Variolarum ſpeciebus regimen calidum frigidùmve indifferentèr adhibere. Sunt etenìm quamplurimi caſus, in quibus *Sydenhami* methodus, alii, equidèm rariores, in quibus ipſa *Mortoni*, non perpauci deniquè in quibus utræque maritatæ, conveniunt. Fatendum reverà, imprudentiam in calido regimine fatalem multò magìs eſſe, quam in frigido. Quænam verò ſit anteponenda, ex ægro, ex morbi ſymptomatibus, facilè percipiet Medicus ſagax.

Qui igitùr Variolarum curationi operam inſumere ſatagit, primùm ægrorum ætas, vitæ ratio, varia ſolidorum ac fluidorum conſtitutio, morbi genium, anni tempeſtas, aliaque hùc ſpectantia ſimùl penſanda veniunt. In morbis equidem curandis, regulæ quædam generales ſervandæ ſunt, cum eo tamen, ut propria cujuſque ægrotantis natura perſpicienda ſit. Ideò, ex *Hippocrate Celſus* dixit, *mederi opportere, & communia & propria intuentem.* In medendi igitùr methodo, non minùs febris ſingularis, quàm peculiaris, morbi contagioſi indolis rationem habere officii ratio poſtulat. Licet enìm Varioloſum contagium eandem morbi ſpeciem excitet, morbum tamèn ipſum, gradu admodum differre demonſtravimus. Quàm utilis & neceſſaria ſit aëris conſtitutionis, præcedentis & preſentis conſi-

Curatio

deratio, optimè demonstravit Celeb. *Huxhamus*. In aëre enim frigido sicco, fibræ fortes, valdèque elasticæ, sanguis densior ac viscidior observantur. Ægroti igitùr tali in constitutione, meliùs (cæteris paribus) sanguinis detractionem perferre possunt. Meliùs etiàm si morbi sporadici, inflammationis notas exhibeant. Quemadmodùm alia aëris constitutio salivationem quæ sufficit, impedit; alia nimiam, eamque acriorem excitat. *Quales enim tempestates, tales etiam sunt*, ex Hippocrate, *humorum constitutiones*.

His ritè perpensis, varia morbi stadia debent oculis subjici, ut varias ex illis sumat indicationes, easque per diversa medicamenta expleat Medicus. Eruptio favenda in primo stadio, ut moderata, sufficiens & facilis evadat. Ad vigilandum in secundo, debitæ pustularum elevationi. In tertio, pustularum humoris serosi mutatio in pus juvanda. Quartum deniquè, reliquias morbi digerere indicat. Ad primum morbi stadium imprimìs attendas; curationis enim exitus sivè lætus, sivè funestus, ab eâ potissimùm, si non in solidum ratione pendet, quâ æger primis morbi diebus tractatur.

Variolas, summam sanguinis inflammationem secum ferre conjunctam affirmat Celeb. *Mead*. Prima idcircò exurgit indicatio, ut humorum ille orgasmus moderetur, qui nequè nimìs properè, nimiâ vi suâ perficiat; nequè tamèn torpido nimìs motu eandem remoretur, vel non satìs idoneam præstet. Cavendum imprimìs ne nimiùm assurgat, ille sanguinis orgasmus, ex congestis stragulis, vel ex aëre in quo decumbit æger, vel ex calidorum medicamentorum, cardiacorùmque usu.

Qui benignis laborant Variolis, vix ope Medici indigi. Abigenda, inutilis & sæpè noxia, medicamentorum farrago. Naturæ potiùs committatur morbus, negotium suum tempore exequitur, materiamque debito ordine, tùm secernit, tùm & etiàm expellit. Dieta solùm refrigerans, demulcens, & humectans esto. Si verò ferveant omnia, acuta vigeat febris, eretysmo laboret cutis, respiratio sit difficilis, æger plethoricus &c., sanguis mitti debet semèl, aut pluries, è brachio, vel è pede, (maximè, si vis morbi ad caput ferri videatur,) donec symptomata compescantur. Non tamèn eò usquè iteranda est phlebotomia, ut vires vitales infringantur. Virium enim ægri, quæcumque sit ætas, habendam esse rationem nemo non videt. Hirudinum admotio temporibus, vel ponè aures, infantibus multùm congruit, si præcipuè cum Variolis se geminet dentitio. Menstruantium & puerperarum vena pedis secanda, si naturales illæ evacuationes revulsivæ satis non sint. In subjectis robustis, plethoricis, tàntus est quandòque infarctus morbi initio, ut vires vitales suffocentur, pulsusque obscurus sit: à primâ autem aut alterâ phlebotomiâ

botomiâ resurgit, fortior evadit, & febris evolvitur, quâ suppressâ ægro pereundum foret. Nihilque ægrotum citiùs juvat, si hæc maximâ ex parte à morbi metu & terrore ortum trahant, quod sæpius adultis evenit.

In quâcumque febri auctâ observatur anaropia, quæ haud dubiè in Variolis earum sæpiùs eruptioni obstat. Est autem undè hæc benè fiat revulsionem procreando, ope vesicantis, vel sinapismi plantis pedum appositis, vel scarificationum in artubus, vel quod faciliùs, pediluvia aut semibalnea præscrìbendo. Maximè celebrantur à celeb. *Huxhamo*; cataplasmata etiam ex micâ panis & lacte suprà artus præscribit, ita & balnea integra, si eruptio sit lenta, pustulæ pallidæ, depressæ. Pediluvia bis in die per universum morbi tempus à *Boërrhavio* commendantur, cum eo tempore ægri in lecti crepidine si debiliores, in sedili si firmiores, erecti collocentur. Ad eruptionem excitandam balneum vaporis præscribit *Rhases*. Generalis tamen, non est balneorum revulsio. Ad gradum caloris non solùm attendendum, sed etiam ad ægrorum idiosyncrasiam. Observatum enìm quandòque fuit, semibalnea solùm tepida anaropiam adaugere, & majori in facie pustularum affluentiæ ansam præbere. Instante eruptione si caput impetant variolæ, cum calore magno, anxietate, motibus tendinum subsultoriis, &c. imperat statim *Baglivi* cucurbitulas scarificatas scapulis, & momento, ferè factà, quasi furentis sanguinis revulsione, omnia prædicta symptomata, velùt in ovo suffocantur. Scarificationum commoda veteres Medici non ignorabant, & merito celebrant quamplurimi recentes.

Primis hisce diebus potus demulcentes, refrigerantes, mucilaginosi, juscula, avenacea, hordeacea, &c. præscribantur. Clysmata emollientia, si alvus sit obstipata, singulis vèl alternis diebus injiciantur; necesse enìm omninò est inquit, *Avicena*, in principio lubricam esse alvum. Sæpiùs tamen ea repetere nocuum esset; à superficie enìm ad interiora humores attrahunt. Ad infringendas fermenti vires, per commodum erit, exemplo *Sydenhami*, vitrioli spiritum potui immiscere, etiàm ad plenam usquè eruptionem. Nequè sanguinis missio, licèt maturè celebrata, ità efficacitèr præproperam materiæ variolosæ assimilationem cohibet, ac sanguinis contemperatio ab aëre intromisso. Aura igitùr libera permittatur, frigidior verò interdicatur. Gradus enìm caloris accomodatissimus, naturalis sit opportet. Neque minus caveas, nè antè eruptionem lecto pertinaciter se addicat æger, si à nimio pustularum confluxu sibi cavere velit. Quinimò, toto in morbi decursu per aliquòt horas de lecto surgat. Qùo enìm tempore è lecto surgebant ægri, pustulas prominentiores & vividiores observavit *Heberden*, & simùl ac cubarent, minores ac flaccidæ erant. Quantumcùmque conducat plerumquè ægros, ut primis morbi diebus lecto non addicatur; nihil,

ominùs non poteſt id ſolatii eidem indulgere, ſi ægritudine vehementiori, intenſiori febre, ſimilibusve contra indicantibus laboret.

Quemadmodùm ex pulsûs vehementiâ, cutis ſiccitate, ardore viſcerum, &c. antiphlogiſtica indicari demonſtravimus, ex pulsûs verò lentore, virium penuriâ, alexipharmaca blanda præſcribi debentur. Veſicatoria & ſinapiſmos ſuadet *Huxhamus*. Balnea autèm raró indicantur. Antè diem quartum, qui eruptioni proprius eſt, quæcumque cardiaca improbat Ill. *Sydenhamus*, eò magìs, inquit, erit materiæ Variolosæ ſeparatio, quò tardiùs iſtæ prorumpunt. Quarto verò die, ſi pro votis parùm ſuccedat eruptio, rectè exhiberi poteſt cardiacum aliquod blandius. Si Varioloſi, fibris laxis, debilibus, tenui macroque ſanguine, præditi ſint; ſi paulò anteà magnas fuere perpeſſi evacuationes, ſi pulſum debilem, celerem, tremulum habeant, ſi de perpetuo ventriculi languore, ægritudine, vertigine, cæteriſque conquerantur: à venæ ſectione ſe abſtinere ſuadet *Baglivi*, & levia cardiaca potiùs convenire putat. Cardiaca refrigerantibus nectere ſuadet *Lobbius*. Verùm & adæquatum tempus cardiaca adhibendi eſt, obſervante *Friderico Hoffmano*, cum vires erumpentibus puſtulis imminuntur. Vinum tunc temporis præſcribit *Huxhamus*. Camphoram commendat Ill. *de Haën*, ſi præcipuè quid maligni obſervetur in morbo.

Nihil ſæpiùs eruptioni obſtat, quàm ſpaſmus quidam particularis, affectiones corporis pravæ & diſtortæ, anxietates & angores. Nihil autèm meliùs ea ſymptomata diſcutit, quam opium, imprimìs ſi mortis metu, pavidus & abjectus ſit æger. Contraindicatur ſi eretiſmo laboret cutis, vel obſtipata ſit alvus.

Quàm utìque confert Vomitorium in ipſo morbi præludio, quotidiana docet experienta: imprimìs ſi ſit ſaburræ apparatus in primis viis. Notandum tamèn, quod in præſcribendis emeticis, indicatìo deſumi ſemper non debeat ex nauſeâ, vel vomituritione: eis enìm anſam præbere poſſunt, vel puſtulæ in ventriculo eruptæ, vel hujuſce viſceris membranarum inflammatio; quod dignoſcitur, notante *Lobbio*, dolore palpitanti in regione ventriculi, ſingultu, &c. illisque potu leni & demulcenti medetur. Præter emeticorum, utì evacuantium utilitatem, obſervabimus eruptionem, ob ſympathiam cutis cum ventriculo, ſæpiùs impediri. Eruptioni nominatìm in illo caſu favet emeticum, ſpaſmum cutis irritatione ſuâ in ventriculum attrahendo. Lene & refrigerans catharticum quibuſdam in caſibus requiritur, imò repetitum, ſi meſenteriæ febris ſigna adſint, quod in pueris ſæpiùs accidit. Ab emeticis penitùs ſe abſtinet Ill. *de Haën*: illa enìm, juxtà illum, in vomitum propenſio, non magis emetico quam ſine eo, antè eruptionem papularum tollitur: tùm quod febres Varioloſæ ſine Variolis, non minùs ſaltèm citrà emetica, quàm poſt eadem exhibita obſerventur;

tùm quod æquè certè frequentes ſint Variolæ benignæ, non datis, quam datis emeticis. Credit ſibi adſtipulari, ſummum *Boërrhaavium* altum de emeticis, hoc in caſu ſervantem ſilentium. Huic opinioni aſſentitur *Baglivi*, dicens, *qui purgant in principio Variolarum, vèl diaphoretica adhibent vehementia, febrim adaugent, quàm ſæpiſſimè internas inflammationes excitant, deliria, tuſſes periculoſiſſimas, & hujus modi quam plurima*: quæ omnia præmiſsâ, unâ alterâve phlebotomia præcaveri poſſe reor.

Nunc ad ſecundam illam indicationem, ad tempus elevationis accomodatam, pedem promoveamus. Conandum hic, ut puſtulæ debitam aſſequantur amplitudinem, conſiſtentiam, quò ritè atquè ordine, deſtinatam periodum petant. Ubì primùm eruperint puſtulæ, an benigni ſint generis, an verò confluentium, attentè perpendas. Si de genere benigno diſcreto conſtet, diætâ convenienti adimpletur curatio. Verùm, ſi puſtularum elevatio pro votis non ſuccedat, an in morbi vehementiâ, an in virium lapſu, cauſa adſit, ſeriò attendendum. Si enìm morbi ac febris violentia, nimiave plethora in cauſa ſint, mox vena ſecunda ſemel, iterato pluriesve, ſi ſymptomata inflammatoria perſtent. Venæ ſectio, enìm ſemper inſtitui debet quovis Variolarum ſtadio, urgente febre, peripneumoniâ, phrenitide, &c. modò vires ſinant. Præmiſſâ phlebotomia, levium diaphoreticorum, & demulcentium uſus congruit. Si hæc autem auxilia ſymptomata non compeſcant, veſicantia cervici & cruris apponenda, modò febris ſit imminuta, & pulſus mollis. Levia narcotica tranſpirationem movendo, & ſomnum conciliando, vires reficiunt. Si verò debilior vita in causâ, ſit eam tùnc cardiacis erigere & excitare, neceſſe eſt. Conſentanea magìs ſunt camphora & moſcus. Si his auxiliis omnia ritè ſuccedant, nullo prorsùs medicamine, naturæ opus interturbandum eſt. Si quædam alia noxia ſuperveniant ſymptomata, debito modo quantociùs debellentur.

Sic hemorragiæ omnes (excepto naris profluvio, raro tamèn utili) ſemper noxiæ, refrigerantium, incraſſantium, imò & valentiorum adſtringentium uſum indicant

Eædem cauſæ ſuperiùs allatæ, quæ eruptioni obſtant, illarum retroceſſui & depreſſioni anſam præbere valent. Eadem igitùr remedia illis optimè occurrunt. Dignum ſanè memorari, caſum *à Baglivio* relatum, pueri, cujus ob Variolarum ad interiora raptum, ac regreſſum, ſivè repentinam exſiccationem, lethalis penè ſpirandi difficultas ſupervenit, cum magno ſalutis diſcrimine. Ut materies denuò, àc citiſſimè ad cutis ambitum revocaretur oſcillatione morbo contrariâ, juſſit ſtatìm ut totum ferè corpus lanceolâ ſcarificaretur, & appoſitis cucurbitulis, hìnc indè ſanguis educatur ad duas libras; quo eductо involutus fuit puer linteis calidis, diſpoſituſque ad dormiendum. Manè tota cutis

oblinita eſt oleo amigdalarum dulcium, mixto cum ſpiritu ſalis ammoniaci, ad procurandam, quàm citò, ab interioribus ad exteriora, Varioloſæ materiei eruptionem, ac recurſum, utì feliciter evenit, & puer optimè convaluit.

Nunquàm in principio diarrhæam ſiſtendam eſſe contendit *Lobbius*, ſi in causâ habeat humorum turgeſcentiam, redundantiam; organa quædam imminentem; lenibus verò cardiacis coërcendam ſi eam foveat humorum ad inteſtina affluxus, vaſorum excretoriorum debilitas, cum virium penuriâ. *Huxhami* obſervatis planè aſſentire videtur hæc ſententia: in confluentibus enìm Variolis & malignis, criticam ſæpe eſſe obſervavit, undè eam præmaturè non cohibere nos monet, nunquàmquè, etsì profuſam, niſi præceſſerint purgantia tonica, qualia Rhabarbarum, quibus ſuccedant convenientia adſtringentia, opiata, &c. Notandum in genere, cum in infantibus Variolis confluentibus affectis, ſalivationis vices gerat diarrhæa, ad finem uſquè morbi feliciter perſeveret, cum moderata eſt. Non ergò, malam imprudentium muliercularum operam, ſubſequatur Medicus, in ſiſtendis diarrhæis huic ætati familiaribus.

Vigiliæ immodicæ hypnotica, levia narcotica requirunt; ſomnum moderatè conciliant, ab eorum uſu faciei, manuumquè intumeſcentia rectiùs procedit. Quò major eſt inflammatio, quò major puſtularum numerus, quò major anxietas, doſis eò major eſſe debet, ſpeciatìm in criſi & versùs eam. Syrupum de diacodio ad ſeſcunciam bis in die præſcribit Ill. *de Haën*, ſi votis adhùc non reſpondeat, doſim adauget. Sudores in adultis etsì non refrænandi, ſi pertinaciores, ſanguinem ſpiſſum reddunt, vitiant, ideòque coërcendi non adſtringentibus, ſed refrigerantibus in potentiâ.

Urinæ ſuppreſſionem in Variolis, aliiſque morbis acutis, ægrum lecto eximendo meliùs quàm per alia remedia curabat Ill. *Sydenhamus*. Noxia verò eſt ſæpè hæc methodus, òb ægrorum debilitatem. Extinctos enim, vidit *Hoffmanus* eorum inter brachia, qui manu eos circumducebant. Pro optimo remedio habetur ſyrupus de diacodio, cum iſchuria hæc, notante celeberrimo hujuſce Lycei Profeſſore D. *Barthés*, ſymptoma ſit ſpaſmodicum. Præcavetur autem illud ſymptoma, potu refrigeranti, cui ſpiritum nitri dulcificatum addere ſuadet Ill. *Heiſter*.

In crudis & ichoroſis, coctione difficilibus Variolis, ubi cutis puſtulæque pallidæ, lividæ, pulſus debilis, urina tenuis, aquea & cruda ſunt, calidiora medicamenta præſcribit Celeb. *Huxhamus*, qualia ſunt pulvis contrayervæ, myrrha, moſcus, crocus, camphora, &c. Opiata quoquè ſollicitè indicantur, præprimìs ſi profuſus ſimùl adſit ptyaliſmus. Convenienti enim ratione data humores tenues, acres, efficaciter inſpiſſant, eorum irritationem & defluxum avertunt, puſ-

tulaſque maturant. Neque veſicatoriis epiſpaſticis eſt parcendum.

In Variolis parvis, nigris, confluentibus cum petechiis, imò interdùm cum aliquâ hæmorragiâ, ſalutaria ſunt acida tùm vegetabilia, tùm mineralia, quæ cryſtallinis ac lymphaticis Variolis nocerent. Spiritus vitrioli ſymptomata omnia, notante *Sydenhamo*, ad miraculum ferè compeſcit. Corticem Peruvianum uti præſtantiſſimum laudat Celeb. *Mead*, illius uſum abſolutè neceſſarium in humorum diſſolutione, contendit Illuſt. *Barthés*, miroſque illius vidit effectus in epidemiâ Variolarum petechialium, quæ *Narboni* anno poſtremo vigebat. Ubì malignitatis in Variolis, & in ægrotis debilitatis ſigna apparent, kinakina præſcribit D. *Roſen* & ad ſingula morbi ſtadia uſum protrahit. Corticem cum acidis in iiſdem circumſtantiis cum ſucceſſu uſurpavit *Huxhamus*. Seriò tamèn admonet ne aliquid horum detur, quandò ſpirandi difficultas, alvus obſtipata, atque abdomen durum & tumidum eſt.

Exigit prophylaxis, ſub primo Variolarum ingreſſu, colliriis detergi oculos, eo fine ut repellatur virus, ne viſui infenſa fiat cicatria, aut ne vitio lacrymarum dùm coaleſcunt palpebræ, circà ſuppurationis tempora viſus patiatur. Aqua tepida vèl cùm lacte remixta totam vulgò paginam adimplet.

Si auxiliis jàm indicatis proſperè propugnentur notata ſymptomata, ritè ſuccedere debet ſuppuratio. Non ideò periculi vacat hæc Variolarum periodus. Namque òb materiei congeſtæ qualitatem vel copiam, imprimìs in confluentibus, febris apparet ſecundaria, ad quam præcavendam, vel expellendam attendere debet Medicus. An ex genere febris putridæ, àn verò ardentis ſit? Cathartica primo in caſu optimè quadrant; venæ ſectio econtrà in ſecundo. Si à cutis eretiſmo pendeat puris reſorptio, linteorum decocto emollienti madidorum appoſitionem ſuadet D. *Roſen*. Si à puſtularum dolore, congruit ſyrupus de diacodio. Si à ſuppreſſâ tranſpiratione, utiliſſima eſt camphora. Si à reſorptione ſeroſitatis acris puſtularum baſi collectæ, acida temperantia, & demulcentia maximè indicantur. Acida etiàm mineralia magnà doſi preſcripta, ſecundiſſimum præſtant effectum, putredini occurrendo, & humorum impetum reprimendo. Illa tamen cautè adhibeas, in regionibus ubì humores craſſi, tenaces, ac viſcidi obſervantur.

Salivationem variolarum confluentium quibusdam in regionibus, ferè ſempèr eſſe comitem jàmjàm expoſuimus. Quòt & quanta gravia, imò & lethalia ſymptomata ex ejus præmatura ſuppreſſione ſuperveniant, nemo non noſcit. Circa exſiccationis tempus ſiſtitur, vel lenteſcit, oborta primis diebus ſalivatio. Niſi faciei intumeſcentia adhùc aliquantulum perſiſtens, ac manuum inſignitèr jàm incipiens ejus vicem

ſubeat, in ſummo periculo verſatur æger. Si igitùr exigua ſit ſalivatio oximelli juvanda, vel irritanti gargariſatione excitanda. Ut ptyaliſmus ſuſtentetur, maximè præſtat potus tenuis qui diluat, nec refrigeret nimìs aùt calefaciat. Cujus hic utilitatis ſunt narcotica, obſervatione demonſtrat Illuſt. *Sydenhamus*, modò æger pubertatem exceſſerit. At verò magna, in eorum exhibitione, requiritur ſagacitas; ſalivationem lentam promovent, affluentiorem verò reprimunt. Nonnunquam ſaliva viſcidior jàm facta, hæret in conceptaculis ſuis; inducitur indè angina ſymptoma periculoſiſſimum, cui mederi voluere quidam autores emetico. Audax verò eſt remedium, & ſolis artis magiſtris tentandum. Non ità habendus eſt catharticorum uſus quæ planè convenire credimus, cùm invitis auxiliis ſuprà laudatis, ſuppreſſa non poteſt revocari ſalivatio, naturâ imprimìs monſtrante viam.

Exſiccatis puſtulis, ſi vena ægris tundatur, ex obſervatis Illuſt. *de Haën* fundunt æmulum pleuriticorum ſanguinem. Ejuſmodi cruor in corpore circumductus, videtùr in multis ſic ſensìm ſubigi, ut attenuatus inſenſibiliter eliminetur, aut etiàm ſic ut diatheſim phlogiſticam amittat. Attamèn poteſt ſubitaneis in cute tumoribus furunculos generare, abſceſſus ad articulos, ad oculos inflammationes, ſuffuſiones &c.; variaque ad viſcera formidandos morbos creare. Quàm perutile ergò eſt conſilio *Sydhenami*, circa venæ ſectionem in receſſu Variolarum addere ſe, modò vires conſtent. Non minùs etiam prodeſt catharticorum uſus, meliùs etiàm ſi detur diarrhæa quæ ſaburram in primis viis nidulantem indicet.

Si ſuperveniant ulcera tùm interna, tùm externa, cum febre lentâ & tabe imminente, ad lac confugiendum. Commendatur à Celeb. *Tiſſot* in occulorum maculis, ulceribus, & epiphorâ. Kinakina ut præſtantiſſimum remedium in illis morbis celebratur. Nec prætermittendus eximius ſetaceorum & cauteriorum uſus in debellandis variis defluxionibus, quæ pravis ſuccedunt Variolis, præprimìs, ſi imperfecta fuerit depuratio.

SECTIO SECUNDA.

De Variolis inſitis.

Hiſtoriâ Variolarum naturalium jàmjàm peractâ, felicioriquè eas curandi methodo jàmjàm traditâ: quàm funeſtæ adhùc, quàm maximè periculoſæ ſint, quàm anceps, quàm ſæpè fallax hujus methodi ſit eventus, extrà omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Variolæ equidèm benignæ adeò moris quandòque ſunt, ut ſine gravioribus quibuſve ſymptomatibus, imò ſine febre, ægros tàm blandè afficiant, ut

iisdem laborantes, pauperes imprimìs, dura neceſſitatis lege coacti, poſthabitâ omni diætæ ratione, aëri inclementiori impunè ſe exponant, felicitèrque evadant: hæ tamèn ſubindè concurrente aëris pravâ conſtitutione, epidemicæ, contagioſæ, atquè malignæ obſervantur, integraſquè non raro familias, prole ſuâ orbent. Teſtimonio hìc opus non eſt. Quàm fædo horribilium ſymptomatum apparatu incedant, quotque crudeles paſsìm ſtrages exerceant, nimìs certè, aliquandò frequens, triſtiſquè experientia docet. Salutis hìnc communis intereſſe videtur, ut apta huic morbo extirpando auxilia inveniat, conſervatrix illa humanæ incolumitatis artium omnium amæniſſima medicina. Quid humanitati conſonum magis? Quid Medico dignius? Quàm vitam ſimilibus ſervare, & quasì ineluctabilem removere mortem.

Virus Varioloſum in ipſa ſeminario extingui poſſe, ſicquè humanam gentem àb hâc labe fieri immunem, contendunt *Boërhaavius*, & *Lobbius*. Hæc obtineri poſſe mercurialibus, & antimonii variis præparatis exiſtimant. Videtur autem irritam eſſe celeb: horum virorum ſpem. Virus etiàm ſub ipſo ingreſſu repprimere voluere, venæſectionibus repetitis & antiphlogiſticis. Illud equidèm quamdòque bene proceſſit, peſſima quandoque ſymptomata exurgi debent. Hanc methodum quodam cum ſucceſſu ſe adhibuiſſe refert D. *de la Mettrie*. Eam quoquè tentavit D. *Cleghorn*, in epidemiâ Minorcam devaſtante: quibuſdam levamento fuit; at verò quidquid egerit, quidquid in curâ habuerit, major pars miſerè ſuccubuit. Eadem leges apud *Tralles*, in *Diſſertatione epiſtolicâ de methodo medendi Variolas hactenùs cognitâ, ſæpè inſufficiente*. Cæterùm in dubio adhùc eſt, àn pauci, qui hâc methodo convaleſcunt, à novo Variolarum ingreſſu tuti ſint. Magìs attendendum eſſe depurationi movendæ per loca convenientia, quam extinctioni virus, cenſemus: nihilque meliùs operi noſtro ſatisfacere videtur, quàm Variolarum inſitio, quod ſatìs ſuperquè apparebit 1°. Inoculationis hiſtoriam, 2°. Illius emolumenta. 3°. Certiorem methodum qu poſſunt obtineri, tradendo.

Caput primum.

Si fides adhibenda ſit Medicorum (*a*) teſtimonio, hanc Variolarum

---

(*a*) Extrait des voyages de Lamotraye, Tom. II, pag. 28.
Diſſertation hiſtorique du D. Tymoni, ſur l'Inoculation.
Ecrit du D. Pylarini, ſur la méthode nouvelle & aſſurée, d'exciter par tranſplantation la petite Vérole.

prophylaxim apùd *Georgios*, *Circaſſos*, *Sinenſes* (*a*) *Græcos* præcipuèque *Theſſalos*, in uſum veniſſe certum & compertùm eſt; in oris Boſphorii maritimis deìn inſtitutâ; brevi norunt eam Conſtantinopolitani, qui Varioloſæ epidemiæ ſævitiæ perterriti, ad eam confugere. Felix fuit eventus, in inſitis tota ſalus, in aliis verò vix nulla fuit ſpes. Turci tantùm fati decretis addicti, ſalubrem hanc reſpuere medelam. Tàm felicis exitus exemplo ductus, Britannicæ Regis Legatus, filium ſuum unicum contagionem Varioloſum ibidèm sìc contrahere voluit. Quin etiàm ut ſaluti filiæ ſuæ honorabilis ulteriùs proſpiceret, & fortè etiàm ut alios tanto exemplo ad idem tentamen concitaret, ad poſteros ſuos præſervandos in Angliam redux, eamdem operationem in cariſſimâ filiâ quinque annos nata, eodem felici cum ſucceſſu comprobavit. Cujus exemplis, alii non minùs nobiles natis ſuis per inſertionem Variolas concitavere. Jàmjàm fama volabat; ubiquè flores adeò diffundebat nova methodus, ut autoritate Regiâ à Medicorum regali ſocietate, in hominibus ſex patibulo propter delicta dicatis, peracta fuit hæc operatio. Unus ex iis jamdudùm Variolis fuerat affectus. Ex votis omnia reſpondere, nullæque in eo priùs Variolas experto effloruere puſtulæ. His experimentis innixi, necnon relatis DD. *Tymoni*, *Pylarini*, in progenie regiâ Variolas excitandas fore ſtatuerunt Londinenſes Medici: quod celebritati ſuæ magni fuit momenti. Multæ tamèn factionum partes contra inſitionem conſpirarunt, & invitis felicioribus experimentis undiquè relatis, felix infauſte deferbuit progreſſus. Plùs valuit præſumpta opinio ignorantiæ filia, quàm ratiò. In Galliâ à Celeb. (*b*) Medicis promulgata, pravos (*c*) quoquè & iniquos inocuit hoſtes. Graves tùnc temporis, ſed exaggerati de inſitione rumores erant ſparſi: invaluit adverſaria factio, & diù jacuit in oblivione tàm laudanda methodus. Dùm verò in Europâ languebat, vigebat in Aſiâ. Mòx tamen in Angliâ refloruit. Noſocomium Londini fuit conditum, ut pauperes inocularentur, Varioloſiſquè opitularetur. Paucis ab hìnc annis apùd Genevos, Suecios, Batavos, Italos in uſum venit medicina hæc. Ad quam & ſtabiliendam præjudicataſquè opiniones fugandas non parùm contulerunt Doctores Ill. *Butini Tronchin*, quorum iſte filio ſuo nondùm Variolas naturales experto artificiales commovit, dùm alter Variolis naturalibus ſummo cum periculo laboraret. Hic in arte vix clarus in quam plurimis illuſtribus pueris

(*a*) Le Pere d'Entrocelles, dans ſa Lettre édifiante & curieuſe, Tom. xx, dit que la petite Vérole artificielle, eſt plus ancienne à la Chine qu'ailleurs.
(*b*) *Dodard*, *Helvetius*, *Aſtruc*, *Nogues*.
(*c*) Vide Theſim Pariſiis propugnatum.... *An Pariſiis inoculare nefas?*

pueris cum ſucceſſu hanc peregit operationem. Sic ſensìm variis in regionibus fuit propagata inſitio. Fauſti magìs ac magìs fuere, & quotidiè fiunt eventus.

Quam optandum ut methodus hæc inventu, non minùs quàm eventu, miranda, noſtris in regionibus in uſum veniret. Placidi Variolarum naturalium devaſtationis ſpectatores, nihil molimur, dùm tutam in manu prophylaxim habemus. Quæ cæcitas! quæ inertia! quæ inhumanitas! exemplum præbere glorioſum nobis fuiſſet; exemplum verò ſequi glorioſum, ac utile non minùs erit. Miror, ſi aliqui arduam, ferè impoſſibilem, & noxiam hujus inoculandi modum acritèr contendant. Quanti equidèm docti, & indocti contrà *Corticis Peruviani* adminiſtrationem non proclamabant, quandò primùm in Europam introductus fuit? At mirabili hujus Corticis virtute temporis decurſu calculatâ, ac evidentiſſimis effectibus accuratè examinatâ, ut remedium hoc in tempore aliis præcellens colitur in arte Medicâ. Quid mali veteres *Mercurio* non imputabant? Etenìm potior illorum pars ut ſimplicitèr venenum indigitabant; ac àb arte Medicâ, hâc de causâ, omnino rejiciendum eſſe fortitèr aſſerebant; àt noſtro hoc ſæculo, quem in Medicinâ vel leviter initiatum proferre pigebit, totam artis Medicæ poteſtatem, in variis Herculeis morbis avellendis, ac radicitùs extirpandis, fruſtrà laboraturum in mercurio incederet. Obſervatur in genere in Medicinæ hiſtoriâ, magnas, veras utilioreſque deprehenſiones ægriùs ſempèr uſurpari. Sic etiàm contrà inſitionem quam plurimi ſe obfirmant. At verò tot & tantis experimentis comprobatur ejus utilitas, ut per plures annos ex multis millibus ægrorum in quibus Variolæ hâc methodo fuerunt excitatæ, ne pauciſſimos fato ſuccubuiſſe confirmetur. Hujus rei conſideratione permoti, methodum hanc Variolas communicandi per inſertionem in animum induximus; & comparatione inſtitutâ inter Variolas communi contagio productas, cum iſtis inſitione excitatis, videbimus, an hæc cum ratione prophylaxis conveniat, & quænam ejus ſint emolumenta.

Caput secundum.

Si neminem ferè jugulet inſitio, dùm quamplurimos naturalis Variola metit, ſi morbus levis ſit illa, iſta verò gravis, ac funeſta, ſi inſitionis exitus nulla ſequuntur incommoda, quæ Variolis ſpontaneis familiaria videntur; ſi primæ ortum prævidere, ſi propagationem ejus impedire in nobis ſit; cum alterius ingreſſum nec contagium removere nequemus: ſi hæc, inquam, omnia veritati conſentanea demonſtrentur; nonne æquo & bono pro inſitionis utilitate nitimur? Hæc

autem seorsim examinemus, & judicium ferre facile erit.

Symptomata Variolas insitas stipantia, etsi ejusdem naturæ, sæpè sæpiùs benignioris sunt indolis. Primis morbi diebus si febris accendatur, & alia superveniant symptomata, apparentibus pustulis evanescunt. Hæ vero numero sunt vulgo paucæ: sola quandoque insitionis loca Variolas exhibent, nec minùs Variolis imposterùm immunes fiunt insiti. Ejusmodi casus referunt *Mortonus*, *Mead*, *Tymoni* & quam plurimi alii auctores. In insitis rapidè exarescunt pustulæ, vel sine sensu discutiuntur; immunes sunt fauces, & præcordia: nulla remanent stigmata nec cicatrices, nec variis miseris morbis (*a*) post morbi decursum corripiuntur insiti. Unicum quod novi incommodum notat Illust. *Pringle* idque leviusculum sibi proprium habet inoculatio; abscessus scilicet glandularum subaxillarium: qui tamèn abscessus accidentales potiùs dici debentur, cum in insitis sæpiùs non observentur; dum in Variolis naturalibus quandoque conspiciuntur: quique abscessus per novam insitionis methodum facilè præcaventur.

Jàm verò si de Variolis naturalibus scripta perlustremus, horrendam undiquè videmus imaginem. Hic eam inter pestes recenset; millenos infantes epidemiis sublatos refert ille. Benignus aliquandò est morbus ille, ait *Sennertus*, sæpiùs verò gravis, adeò ut pestis naturæ accedat, easdemque strages edat. *Cairus* Variolis pestilentialibus, notante *Prospero Alpino*, singulis annis devastatur. Prò pestilentialibus eas habet magnus *Riverius*. Devastationibus ejus mentionem testis oculatus habet *Diemerbroëck*. Tàm crudeles vidit Variolas *Helvetius* anno 1719, ut nullus de affectis salvus fuerit: idem affirmat D. *Roger*. Ferè ejusmodi vidit Variolas anno 1749 Illust. *Tissot*. Nullus deniquè Auctor qui Variolas pro morbo ferocissimo non perspexerit. Etenim ex observatis D. *Jurin* è quinque ejusmodi Variolosis, unus auras vitales linquit, alii duo difformantur, dùm duo tantùm sanantur. Quis hoc narratu non fremit? Quis non luget? Quis monstrum hoc necare non optat? Insitioni manum præbeamus, & in manu ferrum habemus. Præcipua insitionis commoda exponendo, res clariùs patebit.

Per insitionem eligitur ætas juvenilis, quæ ad Variolarum benignitatem non parùm confert, ex consensu omnium Auctorum. Notandum tamèn lactentes inoculationi subjicere inconsultum esse: quamplurimis enim incommodis, utì dentitioni, diarrhææ, convulsionibus, obnoxii sunt, quæ insitionis commoda periculosa quandoque faciunt. Ad ætatem usquè semestrem lactentes inoculationi subjicit D. *Gandoger*;

(*a*) D. *Cantwel* Parisios insitorum deturpatorum exemplis scatere narrat, & unum solum insitum audiendi sensu carentem refert. An inoculationis sit effectus?

ab illo autèm tempore poſt triennium uſquè, illam tentare non ſuadet. Lactentes penitùs ſegregat D. *Ranby*, ne ſi fortè quædam puſtulæ labiis aut linguæ ſuperveniant, lac ſugere horreant. Tempus verò magìs opportunum à quadrimatu ad pubertatem uſquè deſumitur. Pubertatis confinia præcipuè in puellis, nec non menſtruorum tempora vitat D. *Gandoger*: etſi ſæpè in quocumque morbi ſtadio & abſquè periculo fluxus ille appareat. Nequè ideò in adultis rejicienda eſt inſitio; cuicumque enìm ætati competit, modò cum cautelis adhibeatur. Gravidas inſitioni exponere inconſultum eſt, licèt in Angliâ quamplurimæ huic ſe ſubjecere operationi, & illis & infanti qui unâ fuit inſitus. Generalis eſt adeò in Angliâ inſitionis methodus, ut ubicumquè nullâ ferè habitâ temperamenti nec ætatis ratione, excolatur. Circùmſpectiùs autèm noſtris in regionibus agere debemus, dùm infenſos adhùc hoſtes invenit inſitio. Si quid enìm mali eveniret inſitioni potiùs, quàm imprudenti inſitori adſcrìberetur.

Multùm ut in aliis morbis contagioſis ad periculum augendum confert terror quò ſæpè percutiuntur adulti; dùm infantium ignorantia in perfectâ eos ſecuritate nutrit. Corpora aliundè eorum liberiori vivendi licentiâ nondùm vitiata, Variolarum malignitatem facilius eludunt. Eligitur etiàm ſubjectum integræ valetudinis; dùm è contrà robuſtos ac debiles, Variolæ ſpontaneæ, tùm pravi tùm boni temperamenti, coufusè ac improvisò afficiunt, modo viatorem quibuſcumque ſuppetiis orbatum, modò illum ſævientibus morbis epidemicis, modò iſtum vigentes immoderatâ aut calidâ, vel frigidâ aëris conſtitutione, &c.

In gratiam inſitionis habetur modus quo virus Varioloſum inſeritur. Effluvia enìm contagioſa in Variolis naturalibus è morboſis corporibus emanantia, totam ægrorum atmoſphæram replent, corpora ſana præſentia circumcircà ambiunt, & ab his non tantùm per poros cutis, ſed etiam reſpiratione & deglutione hauriuntur; ob ſubtilitatem ſuam intimiùs penetrant, ad viſcerum interiora tranſeunt, & ratione majori minorive eorum malignitatis, digeſtiones, ac ſecretiones plùs minuſve turbant. Ibì enìm, ex obſervatis, majorem ſuam exercet vim, ubì primùm admovetur virus Varioloſum; ex quo agmen ſæpè pravorum ſymptomatum emergit. Materia verò varioloſa per inſitionem in exterioris corporis habitu, è viſceribus internis remoto in ſanguinis oceanum infuſa, multò ſegniùs ac blandiùs operationem ſuam perficit. Deſumi etiàm poteſt contagium exoptimæ notæ licèt notante illuſt. *Mead*, plùs referat in quem, quàm ex quò pus infundatur.

Exequitur autèm hæc operatio tempore ad hoc inſtitutum ſpecialitèr electo, quod teſte *Pylarini* in oriente deſideratur hibernum. Idem tamèn, non ſine ratione, vernum propter clementiorem aëris tem-

periem paritèr idoneum esse judicat. Affluentiores vere & autumno eruptiones observavit D. *Dimsdale.* In quâcumque anni tempestate insitionem indiscriminatìm perficit *Sutton*, hiemaleque tempus ut secundùm magìs præoptat. Nos verò vernale tempus hiemali anteponimus, imprimìs in regionibus frigidioribus, ubì ob densitatem & inclementiam aëris pori corporis obstipantur, ac transpiratio liberior deficit. Nec ideo alias absolutè anni tempestates excludimus, si quædam adjuncta, ut imminens epidemia Variolosa insitionem postulent. Quæcumque autèm alia epidemia serio vitanda; Variolis enìm se complicat, & utraque periculosior evadit Quocumque autèm tempore peragatur tuta hæc propyhilaxis. Corpora in quibus talem instituere animus est medicamentis unicuique propriis præparantur. Quod, notante Ill. *Tissot* non parvi ad Variolarum benignitatem est adjumenti. Essentia enìm insitionis non est præcisè Variolas concitare, sed eas in corpus naturâ vel arte ad felicem exitum dispositum inserere. At verò circà præparationem generalia tantùm præcepta tradere in nobis est. Non esse absolutè necessariam, utilem verò fieri posse notat D. *Gandoger* cum celeb. *Petit.* Sæpiùs in adultis adhibendam esse censet D. *Rosen*, ad quem finem celebrat præparatum quoddam sub pilularum formâ, quarum basis præcipua est mercurius dulcis cum camphorâ. Descriptio autèm earum perfecta, ac eas adhibendi methodus tentamen nostrum longiùs produceret. Consule auctoris eximium opus *de morbis puerorum*, ex linguâ Sueciâ in Germaniam conversum à D. *Murray.* Versionem quoque Gallicam, avidè exoptatam, propè diem divulgabit amicus meus D. *Verdeil* Medicinæ alumnus. Millenis experimentis in Sueciâ tentatis, pilulæ illæ comprobantur. Præscribuntur etiam imminentibus, aut vigentibus epidemiis Variolosis, utì antidotum ad arcendum virus Variolosi contagium, vel meliùs ad ejus acerbitatem castrandam. Observavit auctor prælaudatus in epidemiâ malignâ, quos in usum eas habebant Variolis vel nullis, vel saltèm benignis affici. Admonet verò subjectis robustis & nondùm infectis congruere tantùm. Easdem virtutes adscribit aquæ piceæ D. *Berkley* in Hiberniâ Episcopus. Inter permulta experimenta Anglicana, quæ efficaciæ ejus verum fatentur, relatu digna est observatio D. *Cantwel.* In Scotiâ sub eodem tecto, & in eodem conclavi jacebant pueri quatuor: ex iis unus Variolis laborabat; binis pater, per insitionem eas concitavit; quarto aquam piceam præbuit. Trini priores prosperè è morbo evasere, quartus verò contagium, non suscepit. Insitioni deìn eum subjecit pater, aquam piceam semper propinando, sed vana fuit operatio. Binis mensibus peractis & neglecto aquæ piceæ usu, novam insitionem tentavit; benignæ adeò erupere tùnc Variolæ, ut vix ægrotaret insitus. Faustos quoque de illius usu vidit effectus D. *Rosen.* Prior, *narrative of the success*

of the Tar-Water quam plurima experimenta refert de efficacia aquæ piceæ in Variolis. Quâcumque tamèn virtute donentur hæc remedia suprà descripta, locum semper non merentur in insitionis præparatione. Ratio enìm habenda temperamenti, idiosyncrasiæ, climatis, &c. Quandòque firmior est corporis affectio, & ideò frangenda; domandus si quidam sit prævalens humor, si stomacus, tubusve intestinalis cruditates contraxerint, medicamentis moliri concoctionem necesse est. Cæterùm cum integra sempèr in insitione valetudo sit exoptanda, & requiratur, præparationem fieri nullam aut ferè nullam indè sequeretur. Hoc nobis experientia Anglicana confirmat, & optimè prædixerat D. *Gatti*. Hæc sunt præcipua insitivæ methodi fundamenta; quibusdam objectionibus ab anti-inoculatoribus propugnata, quas hìc per transennam discutere officii ratio postulat.

Immeritò Variolarum recidiva post insitionem objicitur: enìm verò si facta ab ortu inoculationis usquè ad nos consulamus; nullum novæ post veram insitionem Variolæ exemplum invenimus. In Circassiâ, ubì primùm invaluit nulla testatur recidiva. In nosocomio Londinensi, nullum absolutè videtur exemplum Hoc ipsemet experimentum tentavit D. *Maty*, Variolas naturales jàmjàm passus novas sibi per insitionem inserere voluit. Vana, etsì ritè ac cautè facta, fuit operatio. Si tale igitùr quid semèl evenerit, notat celeb. *Mead*, cur non frequentiùs idem contingere videmus? Quid valere potest exemplum singulare, dubium certè & malè exploratum, cum in aliis ferè innumeris id genus experimentis, nihil tale umquàm usu compertum fuit. Cæterùm etsì inter plurima falsa recidivæ exempla quædam possibilia aut vera sint; quid ex his contrà insitionem inferre licèt? Nonnè testatur recidiva hæc in Variolis naturalibus? Ejusdem naturæ annè est insitionis materia? An eædem causæ in iisdem circumstantiis eosdem constanter non producant effectus?

In validiori argumento promulgatum fuit per insitionem adaugeri contagium & propagari. Fatemur equidem contagii causam esse insitionem, & insitum propagationi Variolosæ ansam præbere posse; sed non præbebit, si attendamus per insitionem prævideri contagium, in seminario suo facile extingui, & propagationem ejus præcaveri posse, secernendo insitum ab hominum societate, solis tantùm saluti ejus necessariis & Variolis jàm passis aditum dando. Sic removetur contagium immediatum; mediatum verò notabile non est, si vis contagii cujusque individui ex quantitate pustularum desumatur, ut contendunt celeb. *Rosen*, *Gatti*. Experientiâ innititur hæc sententia: nunquàm enìm epidemicam fuisse insitionem Londinenses, aliiquè varii insitores testantur.

Vidimus jàm *Boërhaavium* & *Lobbium* ferocissimi istius morbi ex-

tinctionis operam dedisse: felicem adhuc desideramus successum. Huic labori sese addidit D. *Rast*, Medicus Lugdunensis maximè commendandus, easdem contrà Variolas proponendo cautelas quæ à peste nos immunes fecere. An necessitatis Variolarum præjudicium, hujus salutaris methodi præcepta exequi impedit? An innumeræ & in exequendo difficiles viæ? De earum tamèn destructione non desperemus, & si modo quodam & facile obtineri potest, nonne per insitionem, ut jàmjàm ab hujusce Lycei Professore Regio illustrissimo D. *Venel* monstratum fuit *in dissertatione de Variolarum extirpatione.*

Quisnam ergò metus acer parentes impedit, ne inoculationi filiorum suorum manum præbeant. Nonne tot felices successus ipsis hanc licitant, quinmò necessariam suadent? Quânamne spe animus lactatur? Anne fortè putant hujus mali eos expertes fore? Errant toto cœlo; cum nos experientia docet perpaucos fuisse qui hoc non sint passi, nequè terreant de hâc methodo ratiocinia: observationes enim solis observationibus destruuutur. Si sollicitè ex omni terræ plagâ insitionis infortunia colligamus, rarissimas, imò dubias strages edere docemus; faustos verò eventus semper succedere. Si Constantinopolim sex millenis inoculationis triumphis claram, consulamus; unicæ cladis testem non habemus. Si computa Anglicana à diversis Medicis in primo insitionis ingressu instituta, perpendamus; longè pauciores proportione servatâ, insitione quam Variolis naturalibus periisse demonstratur. Constat ex calculis D. *Jurin*, ferè decimam quartam hominum partem à Variolis spontaneis jugulari, sextam septimamve infectorum mori: & ex eodem compertum est ex insitione nonagesimam tantùm partem è medio tolli: at verò ex quo eligitur subjectum aut perficitur ars, vix millesimus (*a*) ad patres migrat.

Hæc satis dicta sint de Variolarum insitionis utilitatibus. Si quis adhùc se veritati recuset, tot peritissimorum (*b*) virorum scripta perlustret, mòx quæ illi veritatis notitiam eripit, discutietur caligo. Miror quod in gente perspicaci adeò ac floridâ langueat adhuc, ac litem ducat insitio; dùm novos sibi fautores in vicinis regionibus colligit; dùm major ejus in dies fit successus; dùm Reges ac Principes, ejus, ardenti animo, benignitatis esse properant. Ubì in praxi habetur, ibì civium in dies numerus augetur; horrenda defædationis, mutilationis, ac depopulationis infortunia evanescunt: operarios recu.

(*a*) D. *Ranby* mille quingentos inoculationi subjecit, nec unum quidem amisit
D. *Middelton* ex octogintis obiit unus.
D. *Sutton* ex viginti millibus, duo tantùm periere.

(*b*) *Boerhaave*, *Hoffman*, *Heister*, *Freind*, *Mead*, *Pringle*, *Huxham*, *Tissot*, *Petit*, *de la Condamine*, *Gatti*, *Dimsdale*, *Gandoger*, *&c.*

perant agri, propugnatores imperia, protectores, & ornatores, artes & scientiæ. Quàm optandum ut sarcirentur leges ac regulæ quæ insitioni autoritatem conciliarent? Quàm utilia essent nosocomia illa Londini condita pauperum insitioni dicata, æternâ laude dignum, humanum, & magnum adeo, ut nullum unquam, exemplum habemus in celsissimo Mœcenate meo: in suorum salutem sempèr studiosus, jussa dedit in principi sua ditione, Medicos designavit, & pecuniæ summam illis assignavit, ut in omnibus pueris perageretur insitio; linquendo tamèn parentibus integrum ac liberum arbitrium: quod optimè succcessit.

CAPUT TERTIUM.

Operationem ipsam quod spectat, variis modis peragitur. Apùd Sinenses mollitèr introducitur in natos infantium aut puerorum, turunda è gossypio parvula, imbuta pure è pustulis punctis collecto. Et hic illorum mos si modò tutus esset, nec cerebrum offenderet, uti suspicari licet, delicatulis pergratus foret, nullis scilicèt vulnusculis cuti impressis: at verò in Angliâ hæc fuit tentata methodus in filiâ morti dicatâ; præ aliis vulgari methodò insitis ægrotavit.

Inoculationis modus Constantinopoli à D. *Tymoni* sìc describitur. In cubiculo calido, vernoquè tempore, vel autumnali, operator institutus levia aliquòt vulnuscula infligit musculis brachii aut radii hominis inficiendi cum acu tricuspide, aut phlebotomo. Acum verò trajicit transversum, cutimque attollit, donec guttæ aliquòt sanguinis è vulneribus extillent. Tunc operator locis pertusis immiscet, stylo obtuso vel auriscalpio, pus Variolosum, quòd paulò priùs extraxerat è tibiâ vel poplite sanioris adolescentuli, qui paucis & benignis Variolis fuit affectus. Pus verò colligebat in vas mundum occludendum, & in pectore tepido ferendum.

Sunt qui frontem, genas, metacarpum &c. pungunt. Hæ verò partes cum sensibiles admodùm sint, & ideò inflammationibus obnoxiæ, non adeò eligibiles sunt ac partes musculares.

In Walliâ Variolas sibi invicem communicabant studiosi, se acu pungendo, vel brachia tantùm vel manus ad sanguinem usquè, Variolarum exsiccantium pustulis affricando: Variolosum solvebat inoculandus. Undè methodus hæc, *emere Variolas*, vocabatur.

Correcta fuit in Angliâ insitionis methodus. In eò autèm tota consistit, ut superficiale vulnus polliculari longitudine, in brachio uno aut utroque, infligatùr infrà musculi deltoidis tendinem. In hoc

vulnere filum imbutum pure laudabili, recens (*a*) extracto, admovetur; vel veficatorii ope, quæ pejor eft methodus, puri Variolofo aditus datur. Poft viginti quatuor aut quadraginta horas tollitur apparatus, morequè folito fimùl aut bìs in die vulnus curatur. Ad quartum quintum-ve diem inflammationis figna præbere jàm incipit; dolor tùnc in axillis apparet, boni ominis notante D. *Ranby*. Puftulæ circà feptimum octavumve diem efflorefcunt: vulneris tùnc imminuitur inflammatio, & abundantior fit fuppuratio. Quinto circitèr die àb eruptione ad cicatricem tendit vulnus, & vigefimo, àb invafione morbi, expleta eft cicatrix. Si feriùs verò glutinetur, ad illud folidandum ne nimìs properes. Gravia enìm exindè exurgi poffunt fymptomata. Quibus opitulandum fuppreffam revocando fuppurationem.

Nova hodie methodus (*b*) incifioni fubftituitur, ope acus, extremive lanceolæ puris Variolofi imbuti, fcinditur levitèr epidermis, ac elevatur pollicem intèr & indicem, cutiquè denudatæ applicatur pus, & deprimitur epidermis. Nèc emplaftris, nèc fafciis tegere vulnufculum neceffe eft. Præcaventur hâc methodo fuppurationis abfceffuum, & ulcerum incommoda. Tertio operationis die, loco puncturæ apparet macula pulicum morfui affimilis, rubra fensìm puftula evadit, veficula tandèm lymphâ perlucidâ plena, utì & cæteræ puftulæ Variolofæ maturefcit, fed ultima decidit. Sæpè tamèn evenit ut etsì contagium corpus invaferit, quinto fexto-vè diè adeò immutatam effe puncturam, ut de contagii invafione Medicus ambiget. At verò quò maturiùs inflammationis fymptomata in puncturæ loco apparent, fauftus eò magìs erit eventus. Circà feptimum invafionis diem febris aggreditur, & per triduum perfeverat. Periculofior hæc periodus habetur, vel fola potiùs cui Medicus attentè advigilare debet, & in quâ fummus eft morbi eventus. Et quidèm, notante D. *Gandoger*, in hoc folùm ftadio ægrotat infitus.

Symptomata eadem fed leviora funt ac in Variolis naturalibus. Gravia raro apparent; & fi quæ fint, eadem methodo ac in illis leniuntur. Nec exemplo quorumdam auctorum, eamdem conftantèr Medicinam in infitione adhibeamus. Sic circulatorum exemplo, pulverem tacitum, & tanquàm myfterium tenet D. *Sutton*, ac illi fauftos fuæ methodi exitus adfcribit. Sic mitia cathartica eruptionis tempore conftantèr prefcribit D. *Dimfdale*, naufeas & vomitum, notante illo, reftringunt,

---

(*a*) Virus Variolofum extractum, & per plures menfes afferyatum, votis adhuc refpondet. (V. Mém. de l'Acad. de Chir. Tom. 2.)

(*b*) La méthode de Sutton.

tringunt, febrem & calorem internum imminuunt; & ad maturationem usquè ea repetere suadet. Cum illo autèm dissentit D. *Ranby**, inutilia esse cathartica & emetica asserit. Pulverem cancrorum vèl solum, vèl cum nitro copulatum præscribit. Illa enìm juxtà illum in vomitum propensio, nisi eruptione factâ, evanescit. Si eruptionem motus convulsivi antecedant, vesicantia cervici apponit, ab eis autèm se abstinere suadet D. *Kirkpatrick* si febris proximè convulsionibus superveniat. Infinita autèm esse hæc præcepta neminem fugit; singularis enim casus, utì fuit observatum, singularem requirit methodum. Certas verò ac definitas leges præscribere in immensum serperet. Cæterùm Variolarum naturalium therapeia insitioni optimè congruit. Observandum tantùm, quod in hoc consentiant autores, & meritò à quibusdam prò insitionis successuum basi habetur, ægrum è lecto surgere toto in morbi decursu, levi agitatione corpus gestare, cubilis nec-non conclavis calorem vitare, aërem purum, temperatum, & lévitèr refrigerantem trahere. Ubi eruptivæ febris symptomata apparent, ægros in aëre libero, etsì frigidissimo, exponi D. *Dimsdale* aquamque frigidissimam ad libitùm proponit. Modum verò exeunt in Angliâ insitores, & subeunt quandòque chronici qui ægrum absumunt. Magnas igitùr restrictiones patitur regula hæc apud nostrates, & Medicum tenere satius est.

Tertio die à febris invasione apparent pustulæ, febris evanescit. De ægro felix tùnc & tuta prognosis dari potest. Suppurationis & exsiccationis stadia in Variolis naturalibus, òb febris secundariæ invasionem critica valdè àc periculosa, ab omni sævitie vacua in insitione observantur. Postrema hæcce duo stadia *Apyretos* decurrit æger, deambulat, & sua liberè negotia gerit. Morbo jàm affecto cathartica repetita, nisi admodùm adversa sit indicatio, suadet D. *Kirkpatrick*. Kinakina à quamplurimis celebratur.

FINIS.

DISPUTATURI

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ.

R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSOUNET.

ANTECESSORES REGII VETERANI.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Professor Emeritus.*